

ita paulatim gustum rerum spiritualium amittentes, tandem sub habitu Religionis cor saeculare inveniant.

XV. Porro ne Procurator Monasterii nimium distrahat, ac vagandi nimiam occasionem habeat, providè decernitur in Constitutionibus Eremitarum S. Augustini loco citato: "Poterit etiam in principalioribus conventibus procurator secularis constitui pro illis negotiis, quæ per laicum tractari poterunt, ad evitandos nimios ditensus"

XVI. His Officialibus concredita administratio non impedit, quin penes Abbatem & Superiores remaneat primaria ipsa cura; atque ipsi Officiales in hac administratione ab ipsis dependant.

De Cellario ait S. Benedictus; *Sine iussione Abbatis nihil faciat.* Item: *Omnia mensurate faciat, & secundum iussionem Abbatis.*

Quin non obscurum est, quod ex præscripto Regulæ Benedictinæ liceat Abbati Cellarii Potestatem ampliari aut restringere; plura aut pauciora ei committere; ait enim: "Omnia quæ ei injunxerit Abbas, ipse habeat sub cura sua: à quibus eum prohibuerit, non præsumat.

Dicit insuper S. Benedictus c. 57. Regulæ, ut si quid ex operibus Artificum Monasterii aliquid vendendum sit, illi, quibus cura vendendi facta est, videant, ne in ipsis pretis subripit avaritiæ malum; sed semper aliquantulum vitius detur, quam ab aliis secularibus datur, ut in omnibus glorificetur Deus.

Indubiè monitum hoc S. Benedicti à Superioribus & Officialibus Monasteriorum merito attendendum; ut hoc pacto in administratione rerum temporalium omnem avaritiæ speciem apud homines sæculares evadant.

CAPUT VI.

De usu Pontificalium Abbatibus indulto

- 1. Quo tempore Abbates uti caperint Pontificalibus, incertum.
2. Saeculo 12. Abbates Pontificalibus usiverunt,
3. Quid de hoc usu senserint Abbates Ordinis Præmonstratensis, & Congregationis Bursfeldensis, remissive.
4. Usus Pontificalium competit Abbatibus jure privilegiario.
5. Qua singulis competant ex tenore privilegiorum judicandum.
6. Usus Baculi ante alia Pontificalia Abbatibus competit: & quare.
7. Quid sudarium baculo appensum indicet: & qui illud appensum habeant.
8. Pontificalibus non contentis etiam benedictionem solemnem impartendis auctoritatem impetrarunt.
9. Solemniter benedicendi auctoritas olim Pontificalium usus non erat annexa.
10. Inter Pontificalia hodie reponuntur collatio Ordinum, quamvis usus Pontificalium non sit annexa.
11. potestas conferendi Tonsuram & lektoratum Abbatibus asseritur Canone Synodi Nicænae II.
12. Synodus Nicæna nullam mentionem fecit specialis & solemnis benedictionis Abbatis.
13. Tempore hujus Synodi nondum nota erat solemnitas hodierna Abbatum benedictio, nec distinctio inter Abbates & Priores Conventuales.
14. Gratianus Canonem referens benedictionis Abbatis mentionem addit.
15. Canon ex Gratiano in Decretalis relatus pro jure communis receptus est.
16. Hinc invenitur, Monasterii Praefectum non posse Tonsuram & Ordines conferre, nisi sit Abbas solemniter benedictus.
17. Error Gratiani mutationi disciplinae occasionem dedit.

aut frequentius Pedem dicitur, tandem querit. An ex veteri Monachorum consuetudine Abbatibus relictus, an ex similitudine & participatione quadam Episcopalis sollicitudinis, auctoritativè eis sit communicatus.

Quidquid de hac questione, hoc latè constat, Baculum Pastorem Abbatibus competisse, antequam alia Pontificalia insignia, ut sunt mitra, annulus, scapularia & similia ipsis fuerint communicata.

Unde S. Bernardus aliique ejus temporis scriptores, dum loquuntur de insignibus Pontificalibus, quæ Abbates à Sede Apostolica sollicitabantur, quæque sibi in Abbatibus haud placere ostendebant, nequaquam Baculum enumerant; quæ quasi jure Pastoralia Abbatibus componere supponebant. Hinc quoque videmus, Abbatibus, imo & Abbatissis, nullam aliorum Pontificalium communicationem habentium, Baculum Pastorem competere.

Admodum proinde verisimile est, hoc ornamentum primitivè fuisse simplex Abbatiale, sive Pastorale ornamentum; ac successu temporis Pontificalibus fuisse ornamentum.

VII. Hoc addendum, Abbatiali Baculo appendi jam pridem sollicitum fuisse sudarium; ad differentiam autè Galvanus in Rubricis Missæ p. 1. t. 9. Baculi Episcopalis. Quid etiam in Actis Ecclesiæ Mediolanensis exprimitur; ibi enim inter varias de suppellechile Ecclesiastica instructiones legitur hoc titulo De Baculo Pastoralis: Oratio aut sudario non ornatur, si Episcopalis est; quod Insigne Abbatiale ab illo distinguitur. Pag. 523. edit. anni 1683.

Notat quoque Haestenus, hoc sudarium seu velamen appendi solitum in signum subjectionis; quæ admodum mulieri datur velamen supra caput subjectionis indicium sub viro: Quæ Abbatissæ etiam hodie Baculo hujusmodi velamen appensum habent; ut Abbates exempti, ut observat Haestenus, hoc sudarium prætermittunt. Ad hæc; Significat porro hoc sudarium multo labore & sudore Domini minicum gregem pasci.

VIII. Sed nec ornamentis Pontificalibus contenti, ut etiam adinstar Pontificum solemnem populo benedictionem impendere, & Ordines conferre, aliaque Pontificalia sive Episcopalia exercere possent, sollicitarunt.

IX. Neque enim privilegio utendi ornamentis Pontificalibus primitivè annexa erat ipsa solemnitas benedictio, uti ex S. Bernardo manifestum est. Ipse enim adversus insultatos Abbates declamans ait: Cur non & sacros Ordines celebratis & datis BENEDICTIONES in populis? Tamquam ab omnium planè supponens, quod Abbates darent benedictiones in populis.

X. Inter Pontificalia, quæ Abbatibus competere solent etiam hodie numeratur potestas conferendi Tonsuram Clericalem & minores Ordines, quamvis ipse usus Pontificalium ornamentorum secum non trahat hanc potestatem ut notent Doctores ad Cap. ABATES De privilegiis in VI. & declaravit S. Congregatio apud Eagnanum ad Cap. QUANTO de Consecr. n. 301.

XI. Hanc Potestatem Abbatibus jam pridem competitivè competentem fuisse ex Can. 14. Synodi Nicænae II. sive septimæ; in quo dicitur: Lectoris autem manuum impositionem licet in proprio Monasterio etiam solè unicus que Praefecto faceat; si ad ejus præfecturam ab Episcopo manuum impositio fiat ipsi Praefecto, qui scilicet & ipse est Presbyter.

XII. His verbis refertur hic Canon apud Balsamonem & alios Græcos commentatose quo non obscurum est eo tempore omnibus Monasteriorum Praefectis licuisse Lektoratum in suo Monasterio conferre, modo manuum impositionem ab Episcopo accepissent; id est, modo Presbyteri ab Episcopo essent ordinati. Neque enim de alia manuum impositione hic agitur, & contextus Canonis satis insinuat; & Balsamon cæterique Græci Commendatores uno consensu supponunt.

XIII. Et revera tempore hujus Synodi, id est, saeculo VIII. nondum solemnitas illa, quæ postmodum una cum Pontificalium usu invaluit, Abbatum benedictio fiebat; neque distinctio Abbatum inter & Priores Conventuales aliove similes Monasteriorum Praefectos nota erat; uti supra notatum est.

Van Espon Jus Eccles. P. I.

XIV. Gratianus huic Canonem dist. 69. Can. 1. ita refert: Lectoris autem manuum impositione licentia est Abbati, solummodo in proprio Monasterio faciendi; si dimittatur eidem Abbati manuum impositio facta noscatur ab Episcopo; secundum morem præficiendorum Abbatum, dum constet illum esse Presbyterum.

Quæ lectione non obscurè specialis Abbatum benedictio ab ipsa Presbyterali ordinatione distincta insinuat. At omnibus notum est, quænam parum Gratiano in relatione Canonum fidendum; quamque frequenter ab ipso originali Canonum textu recedat. Et quidem ad hunc Canonem movent Correctores Romani, hæc verba, secundum morem præficiendorum Abbatum non esse in Græco Canone.

XV. Innocentius III. sequutus Gratianum & neglecto textu originali ipsius Canonis, rescribens Archiepiscopo Rothomagensi, ipsum Canonem eisdem verbis, quibus apud Gratianum extabat, retulit: quod præscriptum relatum in Decretales Gregorii IX. in Cap. CUM CONTINGAT de erate & qualis, præficiendorum, partem Juris communis constituit.

XVI. Hinc uno consensu conclusere Decretalium Interpretes, duo necessaria esse, ut jure communi Abbas sit fundatus in collatione Tonsuræ & Minorum Ordinum; Ordinem scilicet Presbyteratus, ac insuper benedictionem solemnem Abbatialem.

Unde juxta modernam disciplinam, si quis non sit Abbas solemniter benedictus, Tonsuram conferre nequit, nisi speciali & expresso privilegio Sedis Apostolicæ sit munitus.

Quapropter cum quaereretur à Sacra Congregatione Cardinalium, an Generalis Ordinis Sylvestrinorum facultatem haberet conferendi Tonsuram & Minores Ordines, respondens fuit, teste Fagnano, de jure ipsi hanc facultatem non competere: Nam, ait Fagnanus, ex Juris communis dispositione ad hoc ut Abbas suos subditos Ordinibus minoribus initiare valeat, duo necessario requiruntur, id est, ut sit solemniter benedictus, & sit Presbyter, ut statutum est in Can. QUONIAM 69. dist. 6. Cap. CUM CONTINGAT de erate & qualis, præficiend. Hæc ille ad Cap. QUANTO de consuetud. num. 20. & 21.

XVII. Hic obiter nota, quod error Gratiani mutationi disciplinae occasionem dederit; ut nimirum facultas dandi Tonsuram & Lektoratum cuilibet Monasterii Praefecto, modo Presbyter esset, ex Decreto Synodi septimæ competentis, ad solos Abbates solemniter benedictos restricta sit: quod & in nonnullis aliis disciplinae punctis contigisse, in Commentario ad Canones notatum fuit; ac notanter ad Can. 6. Calchedonensem.

XVIII. Hæc autem facultas juxta dictum Canonem Synodi VII. limitata erat ad Monasterium cuiuslibet Abbatis; sive quod cuilibet Abbati in proprio Monasterio tantummodo liceret ea facultate uti.

XIX. At Abbates continuo magis ad Pontificalem auctoritatem dignitatemque aspirantes, hæc limitata facultate non contenti, ejus extensionem à Sede Apostolica sensim extorserunt; atque imprimis obtinuerunt, ut non tantum in proprio Monasterio suis subditis Tonsuram conferre possent, sed omnibus in quos Ecclesiasticam & quasi Episcopalem Jurisdictionem obtinent: obtentis insuper sapenumero privilegijs, omnibus indifferenter eam impartiendi, ut videre est in Cap. ABATES de privilegijs in VI.

XX. Cum autem hæc extensio non parum Episcopalem regimen, & Hierarchicum ordinem turbaret, Synodus Tridentina Sess. 23. cap. 10. de Reform. pristinam disciplinam renovans statuit: Abbatibus ac alijs quibuscumque quantumvis exemptis, non liceat in posterum, intra fines, aliquis diocesis consistendis, etiam si nullus Diocesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, vel minores Ordines conferre: nec ipsi Abbates, & alii exempti aut Collegia vel Capitula quæcumque, etiam Ecclesiarum Cathedralium, litteras dimissorias aliquibus Clericis secularibus; ut ab alijs ordinentur concedant, sed horum omnium ordinatione, servatis omnibus, que in hujus sanctæ Synodi decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum diocesis



„ fines existant, pertineat: non obstantibus quibusvis privilegii, prescriptionibus, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus.

XXI. Orta difficultate super intellectu hujus Decreti inter Episcopum Cathanensem, & Monachos Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis, Sacra Congregatio auditis utrimq; rationibus, inhaerendo anterioribus ejusdem Congregationis resolutionibus, resolvit die 23. Novbris 1641. Abbates Regulares Benedictos ejusdem Congregationis Cassinensis, seu alterius Congregationis vel Ordinis aut instituti, habentes etiam jura Episcopalia, seu quae si Episcopalia, usumq; Mitra, baculi, & benedicendi, ac facultate primam Tonsuram, & Minores Ordines conferendi, non posse dicta primam Tonsuram, ne alios ordines minores, nisi suis subditis Regularibus conferre, non aut Regularibus alterius Congregationis, Ordinis, vel instituti, etiam si habeant litteras dimissorias suorum Superiorum, & consensum Ordinariorum, intra quorum diocesum fines ipsi Regulares ordinandi existant, & multo minus personis secularibus, etiam habentibus litteras dimissorias a suis Ordinariis. Ac propterea inhibuit Archiepiscopis, Episcopis, & aliis praelatis inferioribus, ut in futurum concedere non audeant supra dictas litteras dimissorias hujusmodi Abbatibus directas, nec ab istis recipi. Quod si secus fiat, tam concedentes, quam ordinantes a collatione Ordinum suspensi remaneant, praeter alias poenas arbitrio ejusdem Congregationis reservatas.

XXII. Haecenus Fagnanus ad Cap. AQUA de Consecrat. Ecclesiarum 19. referens idipsum rursus anno 1658. a Sacra Congregatione responsum. Atque ita per Synodum Tridentinam derogatum est, citato Cap. Abbates, in quantum ibidem conceditur Abbatibus, tonsurare illos omnes etiam non Regulares in quos jurisdictione Ecclesiasticam & quasi Episcopalem obtinent, uti etiam advertit Fagnanus ad Cap. CUM INTER VOS de Sen. & rejudicata. N. 6.

XXIII. Abbates Ecclesiasticam & quasi Episcopalem jurisdictionem habentes, sunt illi, qui distinctum habent territorium, sive quasi separatam Diocesim nulli Episcopo subiectam, neque in nullius Episcopi Diocesi consistentes, in qua tamquam Ordinarii omnem Episcopalem jurisdictionem exercent, atque Ordinarii in illo Territorio reputantur dicunturque; Abbates nullius diocesis, quorum non semel in Synodo Tridentina mentio occurrit, & de quibus late Fagnanus ad C. CUM CONTINGAT de Foro competenti, ibidem n. 37. monens, quod quotiescumque Abbates, vel alii inferiores Praelati habent territorium separatim, illud dicitur esse nullius Diocesis, ita ut nec in Diocesi, nec de Diocesi alterius centeri possit, sed sit proprium territorium, respectu cuius etiam ipsi, Diocesi vocantur.

XXIV. Deinde n. 39. notat, simplicem & ordinariam exemptionem non eximere a Diocesi, indeque esse incompatibilem cum statu nullius diocesis, cum constituti in hoc statu non agnoscant ullum Diocesanum Episcopum in cuius Diocesi consistent, & a cuius jurisdictione sint exempti, sed habeant ipsi propria quasi Diocesim, sive territorium extra omnem Episcopi Diocesim, constitutum; in quo ipsi ordinariam jurisdictionem exercent, & quasi Ordinarii reputantur; adeo ut etiam de causis matrimonialibus & criminalibus agnoscere queant, non obstante Decreto Concilii Tridentini Sess. 24. c. 20. De Refor. ut late probat Fagnanus ad Cap. ACCIDENTIBUS de Excessibus Praelat.

XXV. Cum vero Abbates passim usum Pontificalium ornamentorum, atque una ipsa munia Episcopalia obeundi auctoritatem, obtentu privilegiorum sibi arrogarent, ac eisdem cum vilipendio & diminutione dignitatis & auctoritatis Episcopalis uterentur, Alexander IV. in c. 3. de Privilegiis in VI. declaravit, quod Abbates, quos Sedis Apostolica in exhibitione benedictionis super populum speciali privilegio insignivit, in Ecclesiis quae ad eos pertinent pleno jure, quando in eis Divina Officia celebrat, possint post Missarum solemniam, & vesperinas ac matutinas Laudes benedictionem solemnem super populum largiri. Alibi autem publice, solum per vias, civitates, castra & villas, populis & plebibus benedictionem facere vel impartiri non va-

leant, nisi hoc eis expresso Apostolico privilegio sit concessum. Hinc colligunt Canonista, Abbates quibus simpliciter privilegium impartitur solemnem benedictionem datum est, quantumcumque etiam generaliter loquatur privilegium, illam non posse extra Ecclesias pleno jure sibi subiectas impartiri, nisi id in privilegio specialiter sit expressum.

XXVI. Idem a paritate seu identitate rationis statendum censent de quocumque usum Pontificalium: eo quod usum Pontificalium non secus ac ipsa benedictio solemnem, jurisdictionem seu auctoritatem quamdam in utentem demonstrat. Unde sicut Episcopus non licet Pontificalibus extra propriam Diocesim uti; quemadmodum supra tit. 16. c. 2. ostensum fuit, ita nec Abbatibus extra Ecclesias pleno jure subiectas, id est, in spiritualibus & temporalibus, uti exponit Glossa ad citatum Capitulum 3. ibidem quoque notans, hoc privilegium Abbatibus, non extendi extra Monasterium ipsius Abbatis, & loca sibi pleno jure subiecta, nam, ait, istud privilegium tendit in diminutionem auctoritatis Episcopalis: ideo debet strictè interpretari, ut minus laedat.

XXVII. Adhuc, jure communi privilegium solemniter benedicendi locum non habet praesente Episcopo; uti jam pridem notavit Joannes Andræus in additione ad Glossam in c. 3. De Privilegiis in VI. Rationem assignat Tamburinus De Jure Abbatum: tomo 1. Disp. 11. q. 9. quia minor non debet majorem benedicere; subditque: Juri etiam communi consona sunt quam plurima privilegia per Sedem Apostolicam Abbatibus concessa, ut possint in Ecclesiis pleno jure sibi subiectis populum benedicere, & in his addita est clausura, Dummodo in benedictionibus hujusmodi aliqui Antistes, vel Sedis Apostolica Legatus praesens non fuerit. Vide quoque Choppinum lib. 1. Monast. tit. 2. n. 18. ubi referentem privilegium simile Pauli III. in favore Vallischolearum, cum eadem clausula, addita tamen hac disjunctiva: Vel si praesens fuerit, ejus ad id expressus accedat assensus.

XXVIII. Ulterius cum Episcopi offenderentur, quod in Synodis Abbatibus mitrati ab Episcopis in habitu non distinguerentur, Clemens IV. de consilio suorum Fratrum statuit C. 6. De privilegio in VI. ut Abbates & alii, quibus mitra usus est ab eadem Sede [Apostolica] concessus, exempti quidem in Provincialibus Conciliis & Episcopalis Synodis [quibus nonnulli eorum interesse teneantur] mitris tantummodo aurifrisiatis [non tamen aureas] vel argenteas laminas aut gemmas habentibus [uti possunt], sint: Non exempti vero simplicibus & albis ac planis uti possunt. In aliis vero locis exemptis & non exemptis mitris licet, at illis uti, prout concessa eis ab eadem Sede indulta permituntur.

XXIX. Ex hac Decretali aliisque statuunt Canonista, Abbatibus nulla ornamenta Pontificalia jure suae dignitatis competere, sed tantum ex speciali privilegio; atque ipsi privilegium tenentem esse inspiciendum, ut de ulu ejus judicari queant: nihilque Abbatibus in hoc usu licere, nisi quod in ipso privilegio tenore expressè est comprehensum. Inspectendus est, ait Glossa, tenore privilegii & servandus.

XXX. Ex haecenus dictis intelligi potest, Pontificali usum ab Abbatibus, in quorum Monasteriis haecenus non est receptus, non esse ambiendum; & ubi receptus est, magna cum simplicitate & cautione esse assumendum.

CAPUT VII.

De Abbatibus laicis & Commendatariis; & horum origine & juribus.

1. Ecclesiam commendare est idem quod custodiendam dare.
2. Commendarum olim usus probatus quoad Ecclesias Pastore destitutas.
3. Commendae illae non erant in commodum Commendatariorum, sed Ecclesiae commendatae.
4. Exempla hujusmodi commendatum quoad Ecclesias Cathedralis & Parochiales apud veteres nota.
5. Idem primitus contigit circa Monasteria.
6. Haec Commendae sensim in perpetuas & in commodum Commendatariorum commutatae sunt.
7. Monasteria ceperunt etiam laicis traditi: & laici Abbates con-
8. Etiam Belgii nostri Abbatis laicis sic data fuerunt.

9. Nobiles

9. Nobiles haec Monasteria obtinentes, se Abbates dicebant, atque hinc Abbi-comites.
10. Hi Abbates constituunt Decanos qui curam spiritualem Monasteriorum haberent.
11. Episcopi Imperatoribus exponunt quantum cum animarum suarum periculo Monasteria laicis concedant.
12. Postulant Viros Religiosos Monasteria praefici, & ne ob paucorum nequitiam loca sacra laicis committantur.
13. Discrimen salutis eorum qui res Ecclesiae invidiosè dissipant.
14. Quomodo ob necessitatem temporis permittantur Canonico & Sanctimonialium Monasteria laicis committi.
15. Consecratio ex haecenus dictis.
16. Qua ratione se Reges tuerentur contra Episcopos.
17. Adhuc saeculo 10. erant Abbates seculares: & qualis esset Monasteriorum sub illis Abbatibus status.
18. Abbatia a Pastore in fluvium quasi haere dicitur jure transibant.
19. abusus hic duravit usque ad regnum Hugonis capeti.
20. Episcopi ceperunt, praesertim saeculo 11. & 12. Monasteria in commendam retinere, & servationis gratia.
21. Praetextu reformationis ceperunt Episcopi & Cardinales Monasteria habere in commendam.
22. Apparuit reformationis studium miorum fuisse praetextum instrumenti proventus Monasteriorum in proprios usus.
23. Monasteria & Ecclesia Cathedralis a Pontificibus dabantur clauicis, secularibus in perpetuas commendatas.
24. Quibus motibus ad eas concedendas Pontifices interdum inducerentur.
25. Quae mala ex hujusmodi commendis orta sunt.
26. Clemens V. omnes hujusmodi commendas improbovit.
27. Constitutionem Clementis V. non habuisse effectum suum constat ex libello Durandi Concilio Viennensi oblato.
28. Usus Commendarum incrementum accepit durante scismate inter Pontifices saeculo 14.
29. Saeculo 15. Commendarum usus sub quibusdam conditionibus, & insitu quarundam personarum probari videbatur.
30. Refertur quidam in hac re a Leone XIII Concilio Lateranensi decretum fuisse.
31. Qualiter ex praescripto Leonis X. Commendatarii proventus Monasteriorum percipere valeant.
32. Post hoc Leonis X. Decretum Commendarum usus per Italiam passim invaluit.
33. In Gallia per Concordata inter Franciscum I. & Leonem X. commendae Monasteriorum videbantur sublatas.
34. Qua ratione post concordatum, in Gallia usus Commendarum manserit.
35. Usus Commendarum in Gallia etiam hodie perseverat.
36. Ob auctoritatem Concilii Tridentini a Commendis libera manent Abbatis quae sunt Ordinum Capita.
37. Commendae hodiernae dantur in utilitatem Commendatarii, atque vero in utilitatem Ecclesiae.
38. Pristine Commendae erant ad tempus, hodiernae perpetuae.
39. Pristini Commendatarii non poterant de proventus Ecclesiae commendatae disponere, secus hodierni.
40. Hodierni Commendatarii censentur veri Titulares.
41. Solum Papa Beneficium Regulare Clerico seculari in commendam dare potest.
42. Commendae hodiernae cum aliis Beneficiis permutari possunt, & per mortem Commendatarii Beneficium vacat.
43. Commendatarius factus Religiosus non potest sine nova collatione Beneficium retinere.
44. Alibi Commendatarii etiam jurisdictionem in Monachos quoad disciplinam regularem exercent.
45. In Gallia cum non habent Commendatarii nisi sint Cardinales.
46. Nonnulli Ordines speciali privilegio obtinuerunt, & quod commendatarii jurisdictionem exercent nequeant, nec Officialis Clericales deservire.
47. Quae cautio in provisione Commendarum adhibeatur, ut Monachis & Monasterio de necessariis provideatur.
48. Quae cautio adhibita a Leone X. qua non observatur.
49. Ut magis cautum esset Monasterii commendatarius ordinata est separatio mensis Abbatis & Conventualis.
50. Quem locum inter Abbates titulares, & alias dignitatem habentes habere debeant Commendatarii.
51. Commendatarii tenentur aliquatenus ad normam vitae Regularis suam instituire.
52. Breve Sixti IV. ad Ducem Brabantiae, quo eum a datione Commendarum dehortatur.
53. Abbates Belgii se Commendis opposuerunt, & Principes nostri permittunt, quoad Commendas non permittent.
54. Quae modis maxime efficacibus ad commendas excludendas.

I. Commendae a verbo commendare originem suam lucunt. Commendare vero proprie significat a ponere live custodiae alicui committere, unde Ecclesiam alicui commendate, est Ecclesiam alicui custodiendam committere. Quapropter Ecclesiam habere in commendam, idem sonat, quod habere Ecclesiam suae custodiae commissam sive depositam.

Van Elpenius Jus Eccles. P. I.

II. Hoc sensu antiquissimus est, ac probatissimus in Ecclesia Commendarum usus. Cum enim interdum contingeret, ut Ecclesiae vacanti non statim de Pastore aut Rectore providere posset, ne interea ob defectum Rectoris, Ecclesia detrimentum pateretur, cura illius alicui Episcopo aut Clerico committebatur, qui ad tempus illi intendere.

III. Hic non in suam, sed in Ecclesiae utilitatem Ecclesiam commendatam accipiebat, seu ut curam ejus ageret atque quantum in se esset electionem novi Pastoris promitteret; neque ut fructus & emolumenta Ecclesiae in suum usum acciperet; at ea tamquam fidelis administrator, seu Commentarius aut depositarius Pastori futuro servaret; ut nunc intentus, ne vacatione durante Ecclesia detrimentum pateretur; ipsique populo spiritualia non deslerent.

IV. Similium Commendarum plurima in epistolis Gregorii exempla occurrunt; atque de hisce intelligendum quod sub nomine Leonis IV, refertur apud Gratianum: „ qui plures Ecclesias retinere; unam quidem titularem, aliam verò sub commendatione retinere debet.” Can. 3. caus. 21. q. 1.

V. Quod circa Ecclesias Cathedralis, & Parochiales primitus contingit, id quoque nonnumquam circa Monasteria evenit; ut nimirum cura eorum ad tempus alicui committatur; qui illis non in suam, sed dumtaxat Monasteriorum utilitatem, ad tempus intendere; atque commendata haberet.

VI. Verum sicuti lapsu temporis Commendae Ecclesiarum Cathedralium & Parochialium sensim in perpetuas commutatae sunt; id quoque non tam in Ecclesiarum utilitatem, quam Commendatariorum emolumentum; atque Clericis pro pallio regendi pluralitatem Beneficiorum subservierunt, [uti infra par. 2. titulo de pluralitate Beneficiorum ostenditur] ita circa Monasteriorum commendas contingit; ut scilicet injuria temporis in perpetuas transiverint; atque Laicis & Clericis occasionem dederint, proventus Monasteriorum titulo Commendatariorum sibi appropriandi; atque Abbatum nomen usurpandi.

VIII. Circa saeculum octavam & nonam proventus non tantum Abbatiarum, sed ipsas Abbatis a Regibus & Imperatoribus datas fuisse Laicis; ut etiam nomen Abbatum tibi arrogarent, ex historiis & Conciliis illorum temporum est manifestum.

Legi possunt Epistola Lupi Ferrariensis, signata 1. 2. & 42. in quibus deplorat Monasteriorum proventus a Fundatoribus in Monachorum & pauperum usus ab eleemosynis destinatos, a laicis possideri ex largitione Regum. Testatur Amoinus Lib. 5. De gestis Francorum c. 24. Carolum Calvum filio suo Carolomanno plurimas dedisse Abbatis; quem propterea vocat Amoinus plurimorum Monasteriorum Abbatem; quia & de eodem testatur, quod, ut quosdam sibi conciliaret, iis Abbatias, sicut etiam, integras dederit; quibusdam de Abbatia Mericana, quam diviserat, beneficiorum dedit; refert quibusdam ab eodem Rege Carolo datam fuisse Abbatiam S. Mauritii Comiti Botoni Et c. 36. de Ludovico Caroli filio & haerede haec refert: „ Ludovicus autem accepto nuntio in Andriaca villa, de morte patris sui Caroli, quos potuit conciliavit sibi, danteis Abbatis & comitatus ac villas, secundum usum, & usumque postulationem.

VIII. De Isaaco Comiti Cameraensi scribit in suo Chronico Galdericus lib. 1. c. 79. „ Comes Abbatum, & beati Humberti possidebat, ipsamque regiam ac locum, pletem Abbatiam sanctissimi Gaugerici cum omnibus appendiciis sibi beneficiorum de regio jure tenebat.

In diplomate Caroli Calvi, quo confirmat donationem praedictorum locum Monasterio S. Bavonis in civitate Gandensi, apud Mitrum in codice pianum donationum c. 18. haec habentur. „ Carissimus fidelis noster Adelmus Comes, qui & largimur nostro Rector Monasterii S. Petri & S. Bavonis, quod vocatur GAND. super fluvium SCHALD. sicuti &c.

IX. Hi autem Comites ex beneficia Regum Abbatias obtinentes, etiam se Monasteriorum Abbates nuncupabant, atque